Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



quatuor quatrionibus militum custodiendum volens post pas-
cha producere eum populo. Et petrus quidem servabatur in carcere.
oratio autem fiebat sine intermissione ab ecclesia ad deum pro-
eo. Cum autem productus eum esset herodes. in ipsa nocte
erat petrus dormiens. inter duos milites vinctus dua-
bus cathenis. et custodes ante ostium custodiebant car-
cerem. Et ecce angelus domini astitit. et lumen refulsit in
habitaculo carceris. percussoque latere petri excitavit eum dicens.
Surge velociter. Et ceciderunt cathene de manibus eius.
Dixit autem angelus ad eum. Precingere et calcia te cali-
gas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi. Circumda tibi vestimen-
tum tuum et sequere me. Et exiens sequebatur eum. et nescie-
bat quia verum est quod fiebat per angelum. Estimabat
autem se visum videre. Transeuntes autem primam et secundam
custodiam venerunt ad portam ferream que ducit ad
civitatem que ultro aperta est eis. Et exeuntes processerunt vi-
cum unum. et continuo discessit angelus ab eo. Et petrus
ad se reversus dixit. Nunc scio vere quia misit dominus ange-
lum suum et eripuit me de manu herodis et de omni expec-
tatione plebis iudeorum. Secundum Matheum.

In illo tempore. Venit ihesus in partes cesaree Philippi. et interro-
gabat discipulos suos dicens. Quem dicunt homines
esse filium hominis? At illi dixerunt. Alii iohannem baptistam
alii autem helyam. alii vero ieremiam. aut unum ex prophetis.
Dicit illis ihesus. Vos autem quem me esse dicitis? Respondens
symon petrus dixit. Tu es xpc filius dei vivi. Respondens
autem ihesus dixit ei. Beatus es symon bariona. quia
caro et sanguis non revelavit tibi sed pater meus qui
in celis est. Et ego dico tibi. quia tu es petrus. et super